



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Mundus Aspectabilis Philosophice Consideratus

Falck, Joseph

Augustae Vindelicorum, 1740

Caput V. De Structura Artuum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95848](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95848)

Jecur ipsum est in dextero hypocondrio sub diaphragmate positum, illic appensum per insigne ligamentum, quod suspensorium vocant: constat infinitis propemodum lobulis & glandulis minimis: ab ejus constitutione plurimum dependet sanitas animalis, quia ad elaborandum sanguinem conducit multum; hinc Veteres oppida condituri inspiciebant jecora pecorum, ut loci temperiem colligerent. Rubicundum est potius à sanguine, quam à natura; & hinc in foetu subflavet & elotum candicat: non multos habet nervos, ne bilis acrimoniam sentiat.

Lien sive splen est pars inferioris ventris subrubida, in bovinæ linguæ modum ut plurimum figurata: sita est sub hypocondrio lævo infra diaphragma. De lienis usu variæ sunt Anatomicorum sententiæ, probabilior est in lienis glandulis & cellulis liquorem contineri, quo fermentetur sanguis affusus per arterias. Porro lienem excindi Curforibus, fabula est, ut Knoblochius, Lindanus, & Isbrandus ajunt, nullius insignis Medici testimonio comprobata: imò & in canibus teste Isbrando raro succedit experimentum, nec diu postea vivunt; quare, etsi hæc pars non sit tam necessaria ac quædam aliæ, suo tamen modo necessaria est.

CAPUT V. De Structura Artuum.

In corpore animalis occurrunt denique artus, qui tanquam rami prodeunt ex caudice, & jam restant considerandi. In homine sunt primò brachia, in quibus est os scapulæ, & os brachii illi connexum, magnum & validum. Ossi brachii connectuntur ossa cubiti duo, quorum majus dicitur ulna, minus verò radius. Sequitur manus, quæ continet carpum, ubi manus inflectitur; metacarpum seu palmam, & digitos. Ossa carpi sunt octo minora, metacarpi sunt quinque, & totidem ossa digitalia, quorum quodlibet constat tribus ossiculis, excepto pollice, in quo sunt tantum ossicula duo, suis omnia musculis, nervis, venis, carne, pelle, &c. connexa & vestita.

In cruribus & pedibus sunt primò os femoris, à ferendo ita dictum, maximum & totius corporis longissimum. Sequitur tibia inter genu & talum, duobus constans ossibus, non aliter ac cubitus. Pes extremus distribuitur in tarsum, metarsum & digitos: septem ossa tarsi annectuntur tibiæ: sequuntur in metarso seu planta pedis ossa quinque, quibus connectuntur ossa digitorum pedalium, quæ totidem sunt ac in manibus: in parte verò anteriore genu est os rotundum, quod rotula dicitur, prohibens, ne ossa tibiæ & coxæ luxentur anteriùs.

Hæc est admirabilis humani corporis fabrica, in cujus tantum manibus elucet stupenda Dei Opificis peritia, &, ut Galenus ait, ei, qui naturæ opera verè examinat, vel manus sola ante anatomen visa sufficiat: hæc enim est instrumentum universale omnium artium & instrumentorum, quo nihil magis ad omnem proportionem elaboratum excogitari potest, ad capiendam & tenendam quamlibet figuram, rectam, cavam, & sphericam; quæ potest jungi, disjungi, flecti, stringi, explicari, ac mille modis moveri; cujus usum, si vel in instrumentis musicis, vel in operibus artis, & aliis innumeris consideres, vel ex hæc sola Divinum cognosces Artificem. Quid nunc oculus? quid auris? quid caput? quid tota fabrica?

CON: